



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P.|| Vincentii|| Brvni, Socie-||tatis Iesv,|| Meditationes,||
In Septem Praecipva Festa|| B. Virginis**

Bruno, Vincenzo

Coloniæ Agrippinæ, 1598

Disc. III. De Communi SS. Confessorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59989](#)

DE COMMUNI
S A N C T O .
RVM CONFES-
SORVM.

DISCURSVS III.
EVANGELIVM.

VO S estis sal terræ. quod si
sal euanuerit, in quo salie- Matt. 5.
tui ad nihilum valet ultra,
nisi ut mittatur foras, & concul-
cetur ab hominibus. Vos estis lux
mundi. Non potest ciuitas absco-
di super montem posita: neque
accendunt lucernam, & ponunt
eam sub modio, sed super cande-
labrum, ut luceat omnibus, qui in
domo sunt. Sic luceat lux vestra
coram hominibus, ut videant o-
pera vestra bona, & glorifcent
patrem vestrum qui in cœlis est.

S Sint

408 DISCURSVS DE

LUC. 12.

Sint lumbi vestri præcincti , &
lucernæ ardentes in manibus ve-
stris , & vos similes hominibus
expectantibus Dominum , quan-
do reuertatur à nuptijs , vt cum
venerit & pulsauerit , confessum
aperiant ei . Beati serui illi , quos
cum venerit Dominus inuenerit
vigilantes . Amen dico vobis ,
quod præcinget se & faciet illos
discumbere , & transiens mini-
strabit illis . Et si venerit in se-
cunda vigilia ; & si in tertia vigi-
lia venerit , & ita inuenerit , beati
sunt serui illi . Quis putas est fide-
lis dispensator & prudens , quem
constituit Dominus super fami-
liam suam , vt det illis cibum in
tempore . Beatus ille seruus ,
quem cum venerit Dominus , in-
uenerit ita facientem . Amen
dico vobis , quoniam super
omnia bona consti-
tuet eum .

MATT. 24.

LUC. 12.

FIGV

FIGURA.

VETERIS Legis Sacerdos, Exod. 28.
inter alia vestimenta, secundum ordinem à Deo prescriptum,
babebat vestem hyacinthinam, in
cuius extremis partibus pendebant
quasimoda punica coloris varijs mi-
stis in medio aureis tintinnabulis.

PROPHETIAE.

1. DABO vobis pastores iuxta cor meū, Ierem. 3.
¶ pascent vos scientia & doctrina.
2. Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splen-
dor firmamenti, & qui ad iustitiam eru-
diant mulios, quasi stellæ in perpetuas æ-
ternitates.
3. Hi sunt viri misericordiae, quorum pie-
ties non defuerūt, cum semine eorum per- Eccl 44.
manent bona, hereditas sancta nepotes eo-
rum, corpora ipsorum sepulta sunt, & no-
men eorum vivet in generatione & ge-
nerationem.

CONSIDERATIONES.

POST victricem Sanctorū Marty-
rum exercitum, proxime sequū-

S 2 tu

410 DISCURSUS DE
tut nobiles & splendide turmę Co-
fessorum, qui officiorum, minist-
riorumque varietate non solum Ecclesię
eclsiæ militanti magno sunt ornati-
mento, verum etiam multiplici sua
virtute, quasi clarissimis quibusdam
stellis illustriorem reddūt Ecclesiam
triumphantem. Vbi considerandum
est, quemadmodum in Republica be-
ne constituta duo hominum genera
sunt necessaria, Alterum eorum qui
eam custodiant, & armis contra hor-
tes defendant. Alterum vero eo-
rum, qui sua sapientia & prudentia
eam administrent, & in pace bonis
que moribus conseruent & susten-
tent: sic C H R I S T U M Domi-
num nostrum voluisse in Ecclesia
sua esse duo hæc hominum genera
vt alij fide, sanctoque zelo armati
fortiter eam defenserent, alij vero
cælesti ornatii sapientia & prudētia
illam gubernarent, & ad omnem
virtutem ac perfectionem promoue-
rent. Ex primò illo genere, fuit for-
tissimus exercitus Martyrum, quo-
rum munus fuit, vt iam dictum est,
non solum confiteri, & intrepide
aduersus omnes hostes fidem San-
ctam tueri, verum etiam, cum opus
esset

ellet, sanguinem & vitam pro religione Christi, sanctissimique nominis eius gloria profundere. Ex secundo vero genere fuit illustris chorus Confessorum, quorum officium erat, non modo prædicatione, & doctrina, sed sanctæ quoque conversationis exemplo, bonorumque operum exercitatione religionem ac cultum diuinum promouere, vitia & abusus populi fidelis extirpare, mores reformare, simplices & rudes instruere, concordiam & pacem inter omnes sartam testam conseruare, ac denique pauperum & afflictorum necessitatibus ex charitate Christiana succurrere. Hi sunt illi prudentes & fideles Domini servi, in Ecclesia per summi Sacerdotis vestem in veteri lege præfigurati, qui representabat ipse personam CHRISTI, ita vestibus suis representabat Ecclesiam, de qua scriptum est, quod sit circumdata varietate. Erat haec Pontificalia vestis coloris cælestis, quo significabatur cælestis honorum Sanctorum Confessorum vita & conuersatio: in quorum quoque persona dixit Apostolus. Nostra autem Pbil. 3:10. conuersatio in cælis est. Haec vestis

412 DISCURSUS DE
in extrema ora habebat quadam
tintinnabula aurea; nam hi sancti
non solum prædicatione & doctri-
na, sed etiam virtutum pio exemplo
quasi suavi quodā sono populis fide-
lis aures demulcebat, tepidos exalta-
bant, feruentes recreabant & promo-
uebant, errantes autem in viam bo-
nam reducebant. Deinde perma-
la punica colore vario tintinnabu-
lis intermixta, non aliud designaba-
tur quam eorum charitas, operaque
virtutis, quibus gloriosi hi Confel-
sores, doctrinam bonamque famam
coniungebant. Nec enim erant è nu-
mero eorum, qui quod alios doce-
bant, ipsi non faciebant, de quibus
Matt. 7.3. **DOMINVS**, Dicunt, inquit, & non
faciunt, sed fuere ex illis, de quibus i-
dem **DOMINVS** dixit. Qui feci-
rit, & docuerit, hic magnus vocabitur in
regno celorum. Sunt præterea hi san-
cti admodum congruenter ab Eu-
angelista Ioanne in Apocalypsi pra-
figurati in candida & splendenti
byssina veste, qua vestita erat spon-
sa Agni, quæ est Ecclesia Sancta,
dicens. Datum est illi, ut cooperiat se
byssino splendenti & candido. Byss-
num enim iustificationes sunt sanctum.

Mass. 5.

Apoc. 9.

Et recte sancti Confessores in se exprimunt candorem & splendorem byssi, candorem quidem pura & innocua vita, splendorem autem piatum operum claritate. Eo quoque spectauit Sapientis cum agens de Ecclesia in praesentia illius mulieris fortis, dixit. *Byssus & purpura in- Prou. 3b
dumentum eius. Purpureo enim co-
lore significare voluit statum Mar-
tyrum, candore vero byssi, hoc col-
legium Confessorum, sicut clarius
paulo post illud exposuit, dicens.
Fortitudo & decor indumentum eius.
Vbi nomine fortitudinis denotauit
Martyrum constantiam in persecu-
tionibus, nomine vero decoris or-
namentum, quod hi sancti Confes-
sores sua virtute Ecclesiae Dei attu-
lerunt.*

2. I AM circa glriosum nomen Confessorum considerandum est, quo modis possimus, & debeamus confiteri D E V M Dominum nostrum, ita ut inde mereamur appellari Confessores. Ac primo quidem priscis illis saeculis, cum Ecclesia persecutionibus immanissimorum tyrannorum fidei Christianae hostium

44 DISCURSUS DE

exagitaretur, qui constanter usque ad mortem, fidem CHRISTI profitebantur gloriose hoc Confessorum nomine compellati fuere. Cum vero hi omnes qui ita patiebantur, & sanguinem pro CHRISTO profunderent, inciperent vocari Martyres, id est testes, quasi suo sanguine veritatem fidei Christianae testari essent; reliqui omnes Christiani, qui sine afflictione & profusione sanguinis, sanctam & piam vitam agebant, eo quod & hi multis modis confiterentur CHRISTVM, cuperunt appellari, Confessores. Primum enim confitebantur illum corde credendo in ipsum, adorando & venerando illum tanquam principium & finem rerum omnium. Quare poterant cum Propheta dicere. Confitebor tibi in toto corde meo, in consilio iustorum & congregazione. Secundo confitebantur ore, gratias illi agendo, continuoque laudando & benedicendo, secundum illud prophetarum Confitebor Domino nimis in ore meo. Atque hec confessio dignissima est, tum Deo ob suam Maiestatem & excellentiam, omni laude & honore dignam, tum homine, qui in eum finem

con-

Psal. 110.

Psal. 108.

conditus est , vt Deum continenter laudet & confiteatur. Ut ilissima quoque est ob eximiam mercedē , quam inde referimus: cūm dixerit D E V S per suum prophetam. *Sacrificium laudis honorificabit me, & illi iter , quo n.* 1. Reg. 2. *stendam illi salutare meum. Sed & necessaria est: nec enim satis est corde credere in Deum ad obtainendam salutem , sed opus est quoque ore eum confiteri. Tertiō confessi sunt hi sanctum operibus & factis: nec enim ē numero fuerunt illorum , de quibus Apostolus dixit, Fatentur se nosse Tit. L. Deum , factis autem negant. Aliud autem non est factis confiteri Deum, quam vitam agere Christiano homine dignam, & diuinā obseruare mandata. Nam cum C H R I S T V S sit ipsa sapientia, iustitia, veritas & sanctitas , homines stultitia sua instar belluarum rationis expertum vivendo negant eius sapientiam , iniqutate iustitiam , mendacijs veritatem, carnali & turpi vita sanctitatem. Itaque quotiescumque sinunt se à flagitijs & peccatis expugnari, tunc D E V M negant, sicut contra , quoties bonum opus præstant, glorificant & confitentur Deum.*

S. 5.

Atque

416 DISCURSUS DE

Atque ideo DOMINVS shortabatur Apostolos suos dicens. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificant patrem vestrum qui in cælis est. Præter hos tres modos confitendi DEV M, est & alius, quando homo se accusat ob proprios defectus & peccata,

Prou. 18. iustus enim, ut habet Sapiens, prior est accusator sui. Confitendo enim peccata nostra, confitemur Deum: quia hoc ipso fatemur eum solum esse iustum & sanctum, omnes vero homines peccatores & mendaces. Deinde quando nos accusamus de peccatis, & dolentes ea cupimus nobis condonari, confitemur Deum esse bonum & misericordem, ac solum habere potestatem ea remittendi, si ut monet S. Ioannes Apo-

l. Ioan. I. stolus, dicens. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniunctitate. Vides ergo quod vias D E V S homini parfecerit ad salutem: vt enim non mereamur in numerum sanctorum Confessorum referri per opera bona a nobis præstata: saltem aliquo modo poterimus ad illum pertinere.

si corde contrito & humiliato nos
plos ob diuinam Maiestatem pecca-
tis nostiis offensam accusemus.

A D H A E C considerandum
est, quantum inter Confessores sit
discrimen. Nam tot discrimina-
sunt, quot sunt virtutes & præro-
gatiæ , quibus hi gloriosi sancti
in Ecclesia D E I refulserunt. Alij
enim illustres fuerunt eximia fidei
confessione, alij præstanti eruditio-
ne, alij vitæ austeritate , alij de-
nique raris Christianæ pietatis ope-
ribus. De singulis autem videbimus
à quibus præfigurati fuerint in lege
veteri, deinde quibus rebus sint com-
parati. Tertio quibus nominibus in
Scriptura appellati. Hinc enim co-
gnosci poterit, quod cuiusque ordi-
nis officium fuerit, quamq; eximia
sit huius sacri Confessorum chori
dignitas & excellentia. Primus ergo
ordo Confessorum fuit eorum, qui
constantes tempore persecutionis in
fide varijs modis fuere afflitti, alij
multati exilio , alij incarceratedi , alij
bonis suis exuti , alij denique varijs
modis excruciati , ita tamen, ut san-
guinem, vel vitam pro CHRISTO,

418 DISCURSUS DE

licet ad id parati essent, non profundarint. E quorum numero fuere primi Christiani, ad quos scribens Apostolus, dicit. *Rememoramini pri-*

Hebr. 10. *stinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuisti, & in altero quidem opprobrijs, & tribulationibus spectaculum facti, in altero autem socij taliter conuersantium effecti: nam & vindictis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis. Ex hoc numero item fuere celebres illi Confessores, qui in immani persecutione Diocletiani condemnati sunt ad metallae ruto prius oculo dextro, & neruis pedis sinistri incisis, qui post restitutam Ecclesiæ pacem à Constantino Magno liberati, in magno honore habiti sunt. Huic ordini in veteri lege persimiles fuere illi Sancti Prophetiæ, qui in persecutione Iezabel, cum in impium idolorum cultum consentire nollent, dispersi, ut*

Hebr. 11. *scribit Apostolus, per deserta errabant, in montibus & caveris terræ vehementer angustiati & afflitti. Recte etiam hi constantes & invicti Confessores assimulantur illis fælicibus arboribus, quæ plantatae suæ secus decursus aquarum de-*

qui.

112

6

COMMUNI SS. 49

de quibus propheta dixit, quod nec
estum nec siccitatem timebunt, &
folia earum semper virescet, nec vns
quam cessabunt proferre fructum
suum. Quid vero mirū, hos sanctos
non reformidasse Tyrannorum mi-
nas, & in aduersitatibus, ac persecu-
tionibus mundi fuisse imperterritos,
cum cordis sui radices, omnemque
spem & amorem in illo fonte vitae,
in puto aquarum viuentium Chri-
sto defixerint, cuius diuina gratia
continenter tincti & rigati, per cæle-
stia desideria, sanctaque & pia opera
continenter efforuerunt, ac viuæ fi-
dei, inuictæque patientiæ fructus re-
portatunt. Hi sunt illæ palmæ, illæ q;
cedri, de quibus scriptum est. Iustus Psal. 91.
sicut palma florebit, & sicut cedrus multi-
pliabitur, plantata in domo Domini. Pal-
mæ verè victrices, quia spiritus &
gratiæ fortitudine à Domino illis
collata, tam egredię victorię de
tyrannis, mundo & dæmonie ipso-
rum persecutoribus retulerunt. Sunt
quoque cedri sublimes & odoriferæ
ob excelsi animi magnitudinem, &
virtutum suauissimum odorem, quo
uniuersam Dei Ecclesiam, in qua
plantati sunt, complerunt. Deinde

420 DISCURSVS DE
ob officium confitendi, intrepideq;
defendendi fidem, sunt vocati mili-
tes, quia armati lorica iustitiae, & scu-
to fidei, ac gladio spiritus, quod est
verbum Dei, fortiter Ecclesiam san-
ctam contra omnes eius aduersarios
propugnarunt. Vnde & Apostolus
suum discipulum Timotheum his
verbis cohortabatur. *Labora ut bonus
miles CHRISTI.*

1. Tim. 1.

Hier. 3.

Eph. 4.

4. SECUNDVS ordo horum San-
ctorum Confessorum fuit eorum,
qui laude doctrinæ & prædicationis
divini verbi in Ecclesia Dei floue-
runt: quales fuere omnes sacri Docto-
res & populi fidelis Pastores, qui suc-
cedentes in officio Pastorali Aposto-
lis olim à Deo promissi sunt per Pro-
phetam dicentem. *Dabo vobis pastores
iuxta cor meum, & pascent vos scien-
& doctrina Dei quoque locutus est*
Apostolus scribens ad Ephesios Ipse,
inquiens, dedit, quosdā quidē Apostolos,
quosdā aut̄ prophetas, alios vero Euange-
listas, alios aut̄ Pastores & doctores ad co-
fumationē sanctorū in op̄ ministerij, in
& edificationē corporis Christi. Tales fue-
runt in veteri lege sanctissimi pro-
phetæ, quos Deus alio atque allo
tempore ad illum populum amén-
dauit,

dauit, ut ei prædicarent, illumido-
cerent, & à mala via reuocarent, ac
in viam salutis deducerent; cuius-
modi fuisse Esaias, Ieremias cum
ceteris, qui non concionibus modo,
sed etiam diuinis scriptis magnam
lucem & auxilium attulerunt tum
populo, tum toti Ecclesiæ Dei. Præ-
sterea sacer iste Doctorum ordo com-
paratur stellis quas Astrologi vocant *Iob. 9.*
Hyadas, ratione ortus earum, & ef-
fectuum quos producunt. Vti enim
hæ stellæ, dum oriuntur, gignunt
pluias in terra: sibi sancti, dum
orti sunt suæ doctrinæ & verbi Dei
imbre irrigarunt terram sterilem &
fœcundam peccatorum, conuicien-
ter illis verbis Mosis. *Concreseat in*
pluiam doctrina mea, fluat ut ros elo *Deut. 32.*
quium nescium. Deinde his stellis exo-
rientibus incipiunt crescere dies,
& radices calidores à Sole emitti. Vn-
de & crescere incipiunt frumenta;
arboresque frondescere & florete;
schorum sanctorum prædicatione
augescit in mentibus hominum
diuinarum rerum notitia, cre-
scit charitatis ardor, incipiun-
que sanctorum desideriorum, bo-
narumque operationum fructus
pul.

422 DISCURSUS DE

pullulare. Secundò comparantur lu-
cernis impositis candelabro totum
domum illustrantibus: hi enim sa-
cti in sublimi loco collocati pro gra-
du, quem in Ecclesia tenent, doctri-
næ suæ splendore, salutaribus docu-
mentis, & virtutum exemplis, viti-
orum caliginem depellunt, errorum
tenebras discutiunt, omnibusq; do-
mum Dei incolentibus veram de-
monstrant viam ad salutem. Adhac
assimilantur splendori firmamenti,
cum de illis scriptum sit *Qui docti fue-
rint, fulgebunt quasi splendor firmamen-
ti, & qui ad iustitiam erudiunt multos,*
quasi stelle in perpetuas æternitates. Etc.
nim hi gloriosi Doctores, non aliud
sunt, quam quædam corpora cœle-
stia incorruptibilia, tum ob fidesfir-
mitatem, tum ob vitæ integratatem.
Lucida sunt ob doctrinæ claritatem,
sanctamque & castam conuersatio-
ne; sublimia sunt ob altitudinem
contemplationis, rerumque diuinæ
rum notitiam. Influxu item suo vi-
les sunt Dei Ecclesiæ non concio-
nibus solum doctissimisque scriptis,
sed etiam sancto zelo, ardenterbusq;
orationibus, quibus cōtinenter Do-
mino supplicant, pro adiumento Ec-
clesiæ.

Matt. 5.

Dan. 12.

cleriae, & omnium fidelium salute.
Quod vero ad nomina attinet his
sanctis Doctoribus ab Ecclesia attri-
buta; primo vocantur Vinitores &
operarij vineæ Domini, quorum mu-
nus est, expurgare hanc vineam à spi-
nis & infrauctuosis fruticibus, palmi-
tes superfluos absindere, plantare &
colere fructiferos, cauere que ne ali-
quo damno afficiantur. Tales fuere
prudentes illi & fideles serui Domi-
ni constituti super familiam suam,
& tales Dominus suæ Ecclesiæ per
Prophetam misit dicens . Et dabo eis Ose. 2.
vinitores eius ex eodem loco. Hi quoque
sunt fideles operarij , quos magnus
ille Pater familias hora undecima in
hac extrema mundi ætate egressus
vocavit, & misit ut laborarent in vi-
ne sua, vt absoluto labore diurno
brent denarij diurni mercede copio-
sè remunerarentur. Secundo vocati
sunt Pastores, quia præcipuum eorum
officium est pascere, custodire, & tue-
riores Domini, ut recte docuit Apo-
stolus ad Timotheum scribens. Pra-
dicta, inquit, verbum iusta opportune im-
portunè, argue, obsecra, increpa in omni
patientia doctrina. Pastores verè bo-
ni & fideles, qui non pascebant sei-
plos.

2. Tim. 4.

424 DISCURSVS DE

plos, sua tantum quærentes com-
moda: multo minus lupo conspecto
fugiebant, ut faciunt mercenarij, sed
quærebant tantum gregis sui com-
modum, parati exemplo Domini
etiam vitam ponere pro illo, si quan-
do opus esset. Congruenter item
Doctores & Prædicatores Ecclesiæ
vocati sunt canes, non de quibus per
Esa. 56. prophetam Dominus dixerat, *canes*
muti von valentes latrare, qui conse-
atis abominationibus illius populi
racebant, & dormitabant, sed canes
vigiles & Domino fideles, qui drui-
ni honoris zelo accensi, nunquam
cessarunt allatratre hostes veræ & Ca-
tholicæ religionis.

5. TERTIVS ordo Confesso-
rum CHRISTI, est eorum qui
rerum cælestium desiderio accensi,
omnibus huius mundi rebus renun-
ciarunt, & se in solitudines vel mo-
nasteria abdiderunt: ubi asperioris
vita instituto, cælestiumque virtu-
tum studio angelicam potius quam
humanam in terra conuersationem
habuerunt. Inter hos maximè ilu-
stres fuere primi eremi in colæ, san-
& issimi Abbates, aliquique diuersarum
congregationū innumerabiles Mo-

nachi

nachi, & post illos reliqui omnes tot
religiosorum ordinum Institutores,
qui usque hodie in Ecclesia florent.

Hic sunt sancti illi, quos dixit Apo Gal. 5.

Itolus crucifigere carnem suam cum
vitiijs & concupiscentijs, quorū con-
versatio erat in cælis, quia non opta-
bant, nec quererentur, nisi quē sursum
sunt, non autem quæ sunt in terra.

Hic sanctorum Confessorum status
primum præfiguratus fuit in Helia,
postea vero singulatim in S. Ioanne
Baptista, Domini Præcursori, vere
Principe & exēplari ordinis mona-
stici, qui etiam nū puer, domo pater-
na deserta, in horridum eremum se
contulit, cuius aspera vita, virtutesq;
admiradæ magnis laudibus in sacro
Euangelio celebrantur. In his sacris

Confessoribus perfectè compleatum
est illud propheticum. Scissæ sunt in de-
serto aquæ, & torrentes in solitudine, Isa 35.

que erat arida erit in stagnum, & sitiens
in fontes aquarū. Et alibi: Dabo in solitu-
dinem cedrum, & spinam, & myrtum, & Isa 41.
lignum olinæ. Et recte nam hi benedi-
cti sancti, non solum in horribili-
bus Aegypti solitudinibus, sed in
medio sterilis & desertæ gentilitatis,

OM. salidæ manu. in quo spigatoz
id. 150.

426 DISCURSVS DE
torque nationum peruersarum ex
spiritus donorumque cælestium re
dundantia, & admirandis suis virtu
tibus, in star fœundarum odorifera
rumque plantarum, & veluti fontes
dulcissimarum aquarum floruerunt.
Deinde hi confessores comparantur
montibus, nam & status religiosus
nō est aliud, quam mons altissimus;
ille mons pinguis, mons coagulatus,
in quo Deo habitare placuit: in quem
montem ex hac infima & luculenta
valle mundi condescendere solent o
mnes illi, qui secuti consilium ab
angelo datum Loth, volunt de salu
te esse securi. Hi sunt illi montes, de
quibus dixit Propheta, *Montes excelsi*
ceruis, petra refugium erinacij. Et recte
in hos enim montes ob securitatem
maiorem recipere se solent illæ anis
mæ, quæ in mundo à canibus & ve
natoribus infernalibus persecutione
patiuntur. Assimilantur montibus,
quia ob terum terrenarum contem
ptum sunt quasi è terra sublati, firmi
& solidi per constantiam & patienti
tiam, ac per cælestium contempla
tionem in altum eleuati. Est quoque
hic status religiosus particulatim as
similatus monti Thabor, in quo
Domini

Psal. 67.

Psal. 103.

Dominus se transfigurauit: nam &
in illo fuere illi tres sancti discipuli,
nempe Petrus, cuius nomen signifi-
cat obedientiam, & Iacobus, quod si-
gnificat mundi deceptorem, hoc est,
paupertatem, & Ioannes virgo, qui
designat castitatem, quæ virtutes tan-
topèrè placent Domino, ut earum
possessoribus, etiam in hac vita æter-
næ gloriæ gustum præbeat, partici-
pesque faciat fœlicitatis, qua beati in
cælo perfruuntur. Sunt item hi san-
cti similes callido negotiari, quem
dixit Dominus inuento thesauro ab-
sccondito in agro, omnia sua vendi
diffe ad emendum agrum illum. Ac
verè Religio thesaurus est, vel potius
continet in se infinitarū opum spi-
ritualium thesaurum; nam qui extra
religionem laborant ad opes con-
quendas, non queunt nisi labori-
bus magnis, periculis multis, & diu-
tino tempore eas congerere. At Re-
ligiosi uno momento, longeque fæ-
licius hunc thesaurum acquirunt; qui
rectè dicitur *absconditus*, quia à pau-
cis & cognoscitur, & inuenitur. De-
nique sunt hi sancti comparati d. Ec-
clesiae manibus, in cuius persona di-
cuntur *sponsa*, *manus meæ distilluunt*. Cant. 3.
myr-

4.8 DISCURSVS DE
myrrham. Hoc enim præcipuum semper fit Monachorum illorum, omniumque Sanctorum religiosorum studium, non mortificare modo & crucifigere carnem sensusque cum vitijs & concupiscentijs huius mundi, sed etiam omnem abnegare per omnia propriam voluntatem & iudicium. Myrrha verè gustui mandanorum hominum amara est, sed amatoribus, imitatoribusq; CHRISTI manna suauissimum.

6. QVARTVS & postremus horum sanctorum Confessorum ordo est eorum, qui sequentes consilium CHRISTI conantur colligere thesauros, non in terra, sed in celo, vnde amplius tolli non possunt, neque consumi temporis vetustate, dum facultates suas liberaliter distribuendo in egentes, multos comparant amicos, à quibus postea recipiantur in æterna tabernacula. Atque hi sunt qui in mundo celebres exstiterunt in caritatis operibus, tam corporalibus, quam spiritualibus in proximos, & simul multis tribulationibus à Domino probati & exercitati fuere. Hi in veteri lege speciam denotati fuerunt in patientissi-

Matt. 6.

n. o

mo Tob , qui de scipso sic loquitur. *Iob.29.*
 oculus sui cæco, & pes claudio, pater eram
 pauperum, & marenium consolator, si ne-
 gam, quod volebat pauperibus , & oculos
 vidue expectare feci, si despensi prætereun-
 tam eo quod non habuerit indumentum,
 & absque operimento pauperem. Simili-
 ter in persona iusti Tobiæ, cuius o-
 pera charitatis in scriptura sunt cele-
 berrima. Hi fuerunt fideles & prudē-
 tes illi servi, quibus Dominus fami-
 liæ suæ curam commisit: ut vnicui-
 que porrigerent cibum in tempore. *Luc.12.*
 ac item sunt illi, quibus, ut loquitur
 Saluator, sunt lumbi præcincti, & lu-
 cernæ ardentes in manibus eorum,
 & iterum qui vigilantes expectant
 Dominum suum reuertentem à nu-
 trijs, ut cum pulsauerit, confessim
 aperiant ei. Habent lumbos præcin-
 ctos per virtutem castitatis, conser-
 uantes se puros & mundos anima &
 corpore. Quid verò aliud sunt lucer-
 næ in manibus eorum ardentes, quā
 opera misericordiæ, in quibus se ex-
 crecent? Sunt hæ lucernæ plenæ mis-
 ERICORDIÆ oleo, quod oleum, quicun-
 que habuerit, nunquam eius lucerna
 extinguetur. Accensæ sunt chari-
 tate.

430 DISCURSUS DE

tate, quia hi sancti ardentes sunt lumenosæ & splendentes ob auxilium & redhibitionem, quam similibus operibus accipiunt eorum proximi. Sunt luminosæ, quia horum operum proprium est, reddere claros & illustres qui illa faciunt in hac & altera vita. Vnde hi sancti assimilantur oliuæ fœcundæ, ut loquitur Propheta. Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei. Verè enim instar oliuarum semper virent, per diuinam gratiam in ipsis habitantem. Sunt etiam fructiferi, quia ex misericordiis illorum manibus continenter stillat oleum misericordiæ spiritualis & corporalis. Sunt quoque assimilati manibus spōsi, qui laudans sponsam dicebat, Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Et rectè. nam sicut manus admodum polita, ad modum earum rerum quæ torno lævigantur, non facile potest retinere res apprehensas; non secus hi sancti ob singularem eorum misericordiam & teneritudinem in proximos inopes, sancta quādā liberalitate ex proprijs facultatis eousque subueniunt omnibus, ut vix libi aliquid pro ne, etiam suæ sentatione retinere possint. Manus

Psal. 51.

Cant. 5.

Vcl

verè aureo ob caritatis perfectionem,
& plenæ hyacinthis, (quæ sunt gem-
mæ eiusdē coloris cū cælo) hoc est,
plenæ pretiosorū & cælestiū operū.
Præterea hi sancti Confessores simi-
les sunt luci matutinæ, atque etiam
horto aquis irriguo, sicut dixit pro-
pheta, *Frange esurienti panem tuum,* &
egenos vagosque induc in domum tuam;
tum videris nudum operi eum, & carnem
tuam ne despixeris, tunc erumpet quasi
mane lumen tuum, & anteibit faciem tu-
am iustitiae tua, & gloria Domini collige-
te, & eris quasi hortus irriguus, & sicut
fons aquarum, cui non deficiunt aquæ. Et
recte homo misericors resplendet
instar auroræ: ut enim hæc pellit te-
nebras, suoque ortu mundum exhi-
larat, sic hi sancti suis operibus miser-
icordiæ animas afflictas consolan-
tur & exhilarant, omnem mœroris
& desperationis caliginem ab eis pel-
lendo. Sunt etiam velut hortus irri-
guis, verè hortus floridus, plenus
compassionis affetu, & fructibus
charitatis. Sunt velut fons perpetuus
ob aquarum diuinæ gratiæ copiam,
quam Deus abundantiter in illos ef-
fundit. Et quomodo possunt destitui-
bis aquis, nam cum ipsi charitate

T

redun-

434 DISCURSUS DE

redundent, simul in se habent fon-
tem & auctorem omnis gratiae? vt e-
nim loquitur D. Ioannes, Deus chari-

2. Ioan. 4. tas est, & qui manet in charitate, in Deo
manet, & Deus in eo. Denique non so-

lum hi gloriosi sancti sunt compa-
rati creaturis, sed ipsi quoque crea-
tori, vti idem Dominus significauit il-

lis verbis, Estote misericordes, sicut Pa-
ter uester misericors est. nihil enim &

què prædicatur in Deo atque mis-
ericordia, de qua dixit Propheta, Ma-

gna est super cælos misericordia tua, &
vsque nubes veritas tua. Quæ verò res

gloriosior esse potest, quam homi-
nem hac virtute eo pertingere, vt i-

mitetur D E V M creatorem suum?
Denique hi sancti Confessores ad-

modum conuenienter vocantur vi-
ri misericordie, quoru pietates nō defue-
runt. Reete autem appellantur viri

ob constantiam virilem, quod non
sinant se aut à bonis operibus, aut à

pia vita yllis mundi contumelijs vel
persecutionibus absterrei. Pro-

prium enim, teste Apostolo, eotum
qui piè viuere in C H R I S T O

volunt, est, in hac vita perpeti perse-
cutions. Vocantur misericordie viri,

tum

Luc. 6.

Psal. 108.

Ecccl. 44.

1. Tim. 3.

tum quia pleni fuere misericordia,
tum quia à D E O misericorditer
sint ad consolationem & auxilium
aliorum mundo donati.

7. C O N S I D E R A præmium
grande his fidis operarijs à Domino
præparatum . Ac primò quidem
Dominus Saluator vt significaret
saltem generatim quam copiosè eos
esset remuneraturus , agens de ser-
uis quos in aduentu suo inueniet
vigilantes, bis repetiuit , *Beati sunt
seruilli* , atque si illius præmij ma-
gnitudo & præstantia verbis satis
explicari non posset , quasi diceret,
eos habituros beatitudinem super
beatitudinem . Deinde particulatim
de primis illis Confessoribus , qui
pro confessione diuini nominis per-
pessi fuerint varias persecutions
& afflictiones ipse Dominus dixit.

*Omnis qui confitebitur me coram homi- Matt.10.
nibus, confitebor & ego eum coram An-
gelis Dei, & coram Patre meo , qui in-
celis est. Nunc cogita, quanta gloria
horum Sanctorum futura sit, quan-
do in extremo illo vniuersalis iudi-
cij die, in conspectu cæli & ter-
ræ inter inumeros Angelorum*

T 3 homi-

436 DISCURSUS DE

hominumque exercitus, vniuersalis iudex, cui omne genu flectitur, benigno vultu, suauissimaque voce euocans eos ad se, diuinamque manum suam eis porrigen, publicum fidelitatis testimonium illis dabit, collaudans eos in sui æterni Patris, totiusque illius ornatissimi confessus præsentia, ac protestans se eos acceptare non solum tanquam seruos, sed etiam tanquam amicos, & carissimos fratres? De illis deinde, qui non solum prædicatione & doctrina, sed etiam operibus & sanctæ virtutæ exemplo laborauerint in excollenda hac Domini vinea, gregeque pascendo, testatur Dominus ipse eos futuros magnos in regno cælorum, eo quod opere præstiterint, quod docuerant verbis. Si ergo in mundo tanti æstimatur, obtinuisse titulum Magni in Principis mortalis aula, eo quod eiusmodi proximi soleant esse Principi, quanto maior erit dignitas horum fidelium prudentiumque operiorum, cum Rex gloriæ iubebit eos sedere iuxta se inter primos regiæ aulæ suæ Principes & Senatores? De illis pariter scriptum est, quod fulgebūt sicut stellæ firmamenti

menti in perpetuas æternitates: nam supra præmium essentialē gloriæ, hi speciatim donabuntur hac resulgen- te aureola, quæ Doctoribus & verbi diuini prædicatoribus debetur, quæ inter alios reddet eos multo hono- ratores & illustriores. Sequitur dein- de præmium eorū, qui instar grani frumenti in terram bonam coniecti studuerunt mori mundo & sibi om- nia relinquendo, & in deserta, & mo- nasteria cœlestis spōsi amore, saluta- re Christi cōsillum secuti, se abdide- rūt. Quod verò aliud est, vel dari po- test à Domino præmiū, nisi Dominus ipse, summū & infinitum bonū. Ac rationi consentaneū sane est, vt qui oīa reliquit, oīa vicissim iuueniat, & qui totū sē cultui Dei dedidit, is aliā mercedē nō habeat, quā ipsum Deū. Ita scriptum est de tribu Leui. quæ quoniā tota erat diuino dedicata ser- uitio, noluit Dominus partē vllā ab ea hæreditatis in terra vendicari cū reliquis, sed dixit, *Ego pars & hæritas tuæ O fœlix præmium. O quantam exultandi causam habent, qui relicto patre, matre, facultatibus, alijsque re- bus omnibus se totos diuino cultui dedicarit;* nam Deus illis seipsum.

Num. 18.

438 DISCURSVS DE
promisit in retributionem , ille erit
corum pater, mater, frater, possessio,
domus, nec centies solum, sed etiam
millies amplius recipient , quam in
hac vita propter ipsum reliquerint.
Illi similiter , quos Dominus elegit
& constituit super familiam sui fi-
delis populi , ut velut boni & miseri-
cordes dispensatores omnibus de ci-
bo prouiderent, alijsque ad vitam su-
stentandam necessarijs , illis , in-
quam , qui studuerunt facultates su-
as dispertere in pauperes, aliaque pie-
tatis Christianæ ministeria obirent,
Dominus particulare quoque pra-
mium promisit, dicens . Beatus ille
seruus , quem cum venerit Dominus eius
inuenierit sic facientem. Amen dico vobis,
super omnia bona sua constituet eum . Ac
rationi certe consentaneum est illa,
qui benè & piè cœpit dispensare bo-
na terræ, à Deo postea fieri possesso-
rem & dispensatorem bonorum cœ-
lestium . His quoq; qui fideliter ne-
gotiati sunt cum talentis & donis à
Domino illis concessis , non re-
condendo ea in terra sed in sinu ino-
pum ; nec expendendo ad proprijs
corporis delicias , sed in necessitatē
& salutem aliorum, hæc fœlicia ver-
ba

Matt.24.

ba pronuntiabantur. *Euge serue bone* Matt. 25.
& fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, super
multa te constitutam, intra in gaudium Do-
mini tui. Pauca verè sunt que in hoc
mūdo amore CHRISTI facimus, et
iam si mille vitas pro illo expendere-
mus, & breue admodum tempus est,
quo ei seruimus, sed præmiū æternū
est & infinitū, & gaudium ab eo pro-
missum nemo vñquā tollet à nobis.

8. CONSIDERA deniq; sumptuo-
sum & lautissimum conuiuiū à Do-
mino præparatum his beatis Con-
fessoribus, & seruis fidelissimis, qui
in hac vita aliquid perpessi sunt, vel
certè laborarunt amore ipsius, & ys-
que in finem in officijs Christianæ
pietatis perseverarunt : de quibus o-
mnibus ipse dicit. *Beati serui illi, quos*
cū venerit Dominus inuenierit vigilantes. Luc. 12.

Amen dico vobis, quod præcinget se, & fa-
tiet illos discubere, & transiens ministra-
bit illis. Magno certe fauore & bene-
uolentia Rex diceretur prosequi mi-
nistrū aliquem aulæ suæ, si eū inui-
taret ad mensam suam, vnaque cum
eo cibum sumeret: maiore autem
prosequeretur, si mandaret æquè
illi seruiri atque sibi; Quod si vero
& ipse vellet illi suis manibus in-

T 4 seruire

444 DISCURSUS DE

seruire, ea nimia esset benevolentia
& caritas, atque apud homines inau-
dita. Iam cum Rex cæli, magnus ille
totius mundi Monarcha tanto amo-
re prosequatur seruos suos, nos exi-
guos terræ vermiculos, tantiq; faciat
tenuia eorum officia & opera, vt ve-
lit remunerationis loco eos non so-
lum in cælo mensæ suæ assidere, sed
etiam in ea ipse illis ministrare, quā-
tam, quam inauditam putamus hæc
esse erga nos benevolentiam? certe
tam eximia & rara est, vt si ipse Deus
suo ore non dixisset id futurum, nul-
la vñquam intelligentia humana ca-
pi potuerit. Verum si hoc est conui-
num cælestē & diuinum, ipseque
Deus preparat, & distribuit conuiu-
scula, ac rursū ipse in propria per-
sona ministrat, quæ dapes, qui cibus
dignus poterit esse tam nobili con-
uiua, & tam sublimi ministro? Certe
hic aliis non est præter ipsum Deū,
illum panem angelorū, illud manna
cælestē, in se continens omnē suaui-
tatis saporē. Deus itaq; erit qui inui-
tabit, idē erit qui in uitatis seruiet, idē
cū eis comedet, idē deniq; erit cibus
quo illos pascet. O cōuiuum splen-
didissimum. ô cibum lautissimum.

obe;

ðbenignitatem, caritatemque nimirum redemptoris nostri. Hoc est sumptuosum illud conuiuum, de quo locutus propheta, Faciet, inquit, Dominus exercituum omnibus populis conuiuum pinguium, conuiuum vindemie, pinguium medullarum, vindemiae defecatae. Quæ verò dapes tam nobiles & suaves, pinguedini & medullæ persimiles toto orbe reperiri possunt, ac fuerunt illæ, quibus tam abundanter satiati sunt, quotquot à Domino ad hoc conuiuum fuere invitati? Similiter quod vinum purius & melius esse potest illo vino nouo & amabili, quo suos eleemos inebriat in cælo? Ibi in hoc fœlici conuiuio omnes dilecti eius serui & amici, siue intrantes, siue exeuntes, inuenient uberrima pascua, quibus non anima tantum, sed corpus quoque restaurabitur. Ibi replebuntur abundantia domus Domini, & diuinorum dulcedinum, consolationumque torrente potabuntur. Ibi summa pace, perfectaque satietate fruentur; sic prorsus, ut nunquam in æternum villam famem, vel sicutim rei creatæ sint habituri. Beati qui digni fuerint tam grato & liberali Domino seruire, qui.

T s. re, qui.

442 DISCURSVS DE

re, qui etiam exigua officia nostrata-
ti facit, & tam copiosè remunerat. O
vani huius sæculi amatores, qui tan-
tas opes expenditis in mundi serui-
tium, quarum omnis, ubi consumptæ
fuerint, perit memoria. Videte, quan-
tum discrimen sit inter opera, licet
exilia in honorē Dei facta, & ea quæ
homines in gratiam mundi faciunt.
Nam duorum illorum minutorum
quæ bona vidua in templo Dei obtu-
lit, & partis pallij, qua B. Martinus nu-
dum pauperem contexit inter homi-
nes usq; ad finem mūdi, perpetua ex-
stabit memoria, & in cælo perdura-
bit per infinita sæcula. Contra ma-
gnifica & fastuosa opera nostra tan-
tis impensis & laboribus tantum ad
conciliandum nomē & existimatio-
nem apud homines perfecta, nobis-
cum omni excident memoria.

COLLOQUIVM.

O Dulcissime Iesu Domine, Con-
fessorum gloria, Doctorum co-
rona, & merces beatissima omnium
fideliter tibi seruientium, qui tam
benignè nos monuisti, ut staremus
succincti lumbos, lucernisque ardē-
tibus in manu, tuum aduentum præ-
stola,

stolaremur, vrc, obsecro, & purga
 sancti spiritus tui igne renes meos
 & cor meum, vt nulla mihi domine-
 tur iniquitas, nec incurram aliquam
 tuæ Maiestatis offendam. Accende
 quoque Deus meus lucernam meam
 diuini tui amoris flamma, vt caritatis
 feroor in anima mea non intepescat,
 omnesque meæ cogitationes, verba,
 & actiones dirigantur ad sanctâ vo-
 luntatem tuam perfecte præstandâ,
 Quare rogo, vt mihi largiri eam gra-
 tiam velis, vt semper vigilem & bo-
 nis operibus vocem, ne imparatus in
 aduentus tui die tā incerto inueniar,
 sed potius, velut fidelis seruus, simu-
 latque pulsaueris, ianuam aperiam,
 teque Dominum meum cum gaudio
 recipiam, atque ita dignus efficiar in-
 ter electos tuos annumerari, cumq;
 eisdē misericorditer ad æterna gau-
 dia assumi: vbi cum ijsdem, quando
 beneficio resurrectionis erunt quasi
 aquilæ renouati, merear ego quoque
 beatificata tua visione satiari, & cum
 infinito iubilo cordis mei laudare, &
 benedicere te in æternum.

DOCUMENTA.

I. P R A E L A T I & Doctores vocan-
 tur Sal terra ob ritæ eorum perfe-
 ctionem.

T 6

etionem

444 DISCURSUS DE

ctionem, & sanctitatis exemplum, quibus
condire debeni mentes hominū adhuc ter-
rena sapientium. Nam sicut sal tres habet
proprietas, Prima, quod terram in qua
spargitur, reddit sterile. Altera, quod con-
diat & sapidos efficiat cibos. Tertia quod
exsiccat carnes & à putredine conseruet.
Sic Prælati sanctitatis exemplo, & doctri-
næ præstantia, in subditis cupiditates ter-
renas refrenant, easq; reddunt steriles mū-
do. Secundò desideria sancta sapore devo-
onis condunt & promouent. Tertiò exsic-
cant carnes, hoc est, homines carnales, pre-
seruando eos à libidinis putredine. Deniq;
sicut per salem d. signatur virtus discretio-
nis, sic omnia opera quæ exercentur erga
subditos hac virtute condenda sunt, red-
dendo illa hoc modo coram hominibus atq;
etiam in præsentia Dei sapidiora.

2. C H R I S T. V. S primò dixit Aposto-
lis, eos esse sal terræ, postea autem dixit es-
se lucem mundi, quare indicatur prælatos.
Doctoresq; Ecclesiæ primo debere esse sa-
lem quo ad se, viuendo benè & sapienter.
deinde præbere lucem predicando, & do-
cendo alios, salem exemplo, lucem doctrina,
secundum exemplum Christi Salvatoris, de
quo scriptū est, Cæpit Iesus facere &
docere.

Act. I.

3. Sic

¶ SIC luceat lux vestra coram hominibus, inquit CHRISTVS, vt videant opera vestra bona, & glorifcent Patrem vestrum, qui in celis est, volens his verbis commonere sue Ecclesie prælatos & Doctores, debere eos lumine prebere alijs non solum doctrina, piaque institutione, sed etiam operibus, id que precepit, ne que enim dixit, vt homines videant doctrinam vestram, sed vt videant opera vestra bona glorifcent Patrem celestem. Vbi similiter animaduertant Prælati, non debere eos ex suis bonis operibus propriam aucupari laudem & gloriam, sed tantum Dei, non enim dicit, vt videntes homines opera vestra bona glorifcent & collaudent vos, sed dicit, vt glorifcent Patrem caelestem, à quo omne bonum promanat.

* Dicit CHRISTVS debere nos præcingere lumbos nostros. Duo genera lumborum inueniuntur in nobis. Alij sunt mentis, id est, voluntatis nostre, à qua oriuntur omnes affectus inordinati, & intellectus nostri, à quo procedunt pravae cogitationes & mala desideria. Alij deinde sunt lumbi carnis, à quibus proficiuntur cupiditates carnales, & impudica opera. Virosque debemus præcingere, cohibereq; ne erumpant in cogitationes & actiones illicitas:

I 7 idque

446 DISCURSUS DE
idque duobus cingulis praestandum est. Pri-
mum est studium orationis, & assidua in-
lege Dei meditatio, quibus pravae cogita-
tiones & desideria mentis nostra facile
coercentur. Alterum cingulum est vita se-
ueritas, & corporis afflictio, quibus libidi-
nes & incentiva carnis opprimuntur &
exstinguuntur.

5. Multis modis solet Dominus, (vis
ille, qui consuetudine nostra delectatur)
pulsare ad ostium cordis nostri, ut si uno
non aperiatur, aperiatur alio, eumq; intro-
recipiamus. Primo pulsat verbis conciona-
torum, aliorumque qui cobortantur & ex-
citant nos ad bonum. Secundo, pulsat
bonis hominum piorum exemplis. Tertio
beneficijs suis, quibus nos continenter affi-
cit. Quartò immisis flagellis, & ini-
cto terrore eternorum tormentorum.
Quinto promissione maximorum premio-
rum. Contra nonnulli nulla ratione in-
duci possunt ut Domino respondeant; sic e-
nim obdurati sunt, ut nec concionibus, nec
beneficijs, nec timore villo cor illorum e-
molliri queat. Alij humiliter respondent,
sed patiuntur cum vacuum discedere: at-
que hi sunt, qui similiter quidem agnoscunt
& fatentur se peccatores, sed nondum ha-
bent firmum propositum peccata deserendi.
Alij aperiunt quidem, sed non deti-
nens

nent eam diu secum, & hi sunt, qui ex una parte se emendant, sed non plenè satisfaciunt; nihil quidem alienum rapiunt, sed quod iam rapuere non restituunt. Alij tametsi aperiant eumque recipiant, nouis iamen hospitibus interuenientibus, pauperem IESVM foras ejiciunt. Et hi sunt, de quibus Dominus dixit. Ad tempus Luc. 8.

credunt, & in tempore temptationis recedunt, dolent de peccatis & vitam corrugunt, sed quamprimum è mundo vel carne tentatio aliqua in eos irruerit, mox relabuntur. Alij denique non solum confessim illi aperiunt, sed benigne quoque suscipiunt, gratamque habitationem in cordibus suis ei præparant: de quibus ipse Dominus dixit, se ad eos ingressurum, cœnaturumque cum illis, & illos secum, quando per aduentum tanti hospitis omnibus bonis & charismatis caelestibus sunt locupletati.

6. Dixit præterea Dominus, ut vigilarent, ut quamprimum pulsarit ostium, sibi illud patefaciant. Tunc Dominus pulsat animæ nostræ ostium, quando bonam aliquam inspirationem, priusque desiderium nobis immittit; & tunc illi aperimus, quando illi consentimus, probamus, & operam

7. Consulit Dominus nobis ut vigilemus
et ad

448 DISCURSUS DE

et ad suum aduentum parati simus. Tunc autem vigilanter expectamus aduentum Domini, quando mentis nostrae oculos aperitos tenemus ad contemplandum verum lumen, hoc est, cum frequenter cogitamus de Deo, eumque continuo presentem in omnibus actionibus nostris imaginamur. Tunc quoque vigilamus, quando quod credimus, factis implemus. Vigilamus etiam, quando temporis et ignorantiae tenebras depellimus; et cum diligentia ac feroce CHRISTO D. N. inservimus. Tunc denique vigilamus, cum oculis semper obiectam habemus mortis nostrae, et aduentum Domini memoriam, id semper studentes, ne quid in pectoris nostri domo superfit, quod tantu[m] hospitis oculos offendere possit.

8. Dixit Dominus seruos suos beatos fore, si eos vigilantes in prima vel secunda vigilia inuenierit. Vigiliae haec sunt diuersae aetates vitae nostrae; Prima vigilia est pueritia. Secunda est adolescentia, et iuuentut. Tertia est senectus. Qui igitur negligentes fuere, vel vigilare noluere in prima, adūgilent saltem in secunda, qui vero etiam secundam neglexerint sua incuria, ne extremum tertiae vigiliae repudient remedium, ut saltem in senectute somnum excutiant, nec tantam Dei longanimitatem et patientiam contemnant: valde enim verendum est.

est ne dum expectant misericordiam pro-
rogando pænitentiam, in iudicium incidat:
aque tunc eo maior erit contra illos diui-
ne iustitiae severitas, quanto diuturnior
fuerit Dei in expectanda illorum emenda-
tione longanimitas. O quot hodie in mun-
do florem iuuentutis vanissimè consumunt,
ac demum vix senectutis feces pænitentie
agenda tribuunt.

9. Per hunc seruum fidelem, quem Do-
minus dicit à se constitutum super fami-
liam suam, intelligitur quilibet Christia-
nu. Nam quilibet vocari potest dispensa-
tor Domini, ac primo quidem in rebus sp̄i-
ritualibus, quod propriè pertinet ad Præla-
tos. Secundo in temporalibus, quod ad Prin-
cipes & Iudices sacerdetales. Tertio in bono
v̄su gratia, & donorum cuique à Domino
concessorum, qui consistit in gubernatione
sui ipsius, & institutione vitae pie, quod
pertinet ad omnes. Tunc igitur Prælatus.
vel Princeps Christianus boni servi officio
fungitur, quando donis à Deo acceptis, vt
sciencia, vel potestate, & auctoritate, vel
opibus, vel alijs bonis, vivitur, non in detri-
mentum subditorum, aut condemnationem
propriam, sed in salutem suam cōmodum-
que commune aliorum. Nam sicut nemo sibi
soli natus est, sed etiam utilitati proximo-
rum secundum illud. Vnicuique man-
dauit:

450 DISCURSUS DE
dauit Deus de proximo suo , ita quili-
bet existimare debet facultates quas possi-
det non sibi soli , sed etiam in beneficium a-
liorum datas esse.

10. Duas in suis seruis Dominus requi-
rit conditiones alteram , ut sint fideles: al-
teram , ut prudentes . Tunc autem seruum Dei
fidelis est . quando dona a Deo concessa non
sibi adscribit , gloriando in illis , & vanam
ancupando hominum laudem ex illis , sed
potius attribuit sol Deo , eiique gratias agit,
& in eum omnem eorum gloriam trans-
fert . Tunc vero est prudens , quando talentum
ab eo accepit neque recondit otiosum ,
nec vane consumit , sed utiliter , diuinaque
voluntati conuenienter in salutarem v-
sum expendit , tanquam de eo
aliquando rationem Deo
redditur.

NOTET hoc loco pius Lector,
etiam si sequens Meditatio inscri-
batur, DE COMMUNI VIRGI-
NVM , nostamen in hoc nostro
discursu (quoniā in eo agitur de
Virginitate generatim) nomine
Virginum eque viros ac feminas ,
dono integritatis in hac vita il-
lustres , comprehendisse.

D E